

cum illis exercitum circumibant. De quo videri potest iterum Tacitus. Hujus moris Romanos milites fuisse imitatores, ex historia eorum constat. Ita de Hypatio seditiose contra Justinianum electo testatur Zonaras in hujus Imperatoris vita *ἐπ' αὐτοῦ αὐτοῦ μεταξὺν in clypeum sublime elatum fuisse, atque ita Regem adpellatum.* Huc pertinet illud Claudiani de *IV. Honori consulatu* :

*Sed mox quum solito miles te more levasset,  
Nubila dissolvit Phœbus*

Quæ verba manifestissime ad illum inaugurandi ritum adludant. Sed hæc velut *ἐν παροδῶ.*

XIII.

Hos duces cum isthoc suo exercitu Suevico ad *ripam Rheni* consedisse nunciant *Treveri*; quod ubi factum fuerit, quum Rheni ripa late pateat, paullo curatius examinandum nunc venit. Ab Treverorum finibus haud longe abfuerint necesse est; quia hi *questum veniebant*, impetum Germanorum in suas oras metuentes. At Treveri Cæsaris seculo, quemadmodum etiam postea, terminum ab oriente habebant *Rhenum* NB. a *Nava* fluvio, Vangionum limite, qui propter *Bingium* sese in *Rhenum* exonerat, ad *Abrincam* amnem usque, qui hodie dicitur *die Ahr* / quod prolixè ostendit doctèque Cluverius *antiqu. Germ. lib. II. cap. XIV.* quem vide. Ita ergo ripa Treverorum, qua Germaniam prospectabant, a *Bingio* vernacule *Bingen* celebri oppido, utpote cujus Tacitus *Annalium* l. XX. & Ausonius mentionem injiciunt, ad *Antunnacum*, hodie *Udernach* / porrigebatur. Quod evidentissimum argumentum est, *Centum Suevorum pagos, Nasua & Cimberio Ducibus*, ad ripam illam Rheni, quæ